Fragmentarium

i. ciuitas
Certamen uel olimpia quae in honorem iouis celebrantur certamina prius. Dic composita.
Olimpiodorus et olimpionices. Dic patronomicum. Olimpias. Cuius secundum analogiam olimpiades
debet esse masculinum ;;;

Oceanum interea surgens aurora reliquit. Scande uersum. Oceanum interea
Quot habet cesuras. Duas. semiquinariam et semiseptenariam. Oceanum interea. Ecce
semiquinaria. a surgens. Ecce et semi. Quot figurarum est. Decem habet enim iiii. dactilos et duos
spondeos. Tracta pedes. Occea dactilus. Quot partes orationis habet iste uersus. Quinque. Occeanum
interea. Quot nomina. Duo occeanum et aurora. Quot uerba. Unum reliquit. Quot par-
ticipia. Unum surgens. Quot aduerbia. Unum. Interea.

Occeanum. quae pars orationis est. Nomen. Quale. Proprium. Cuius speciei. Diriuatiue.
apo toy okeoc. hoc est aceleri motu. dictus est grece oceanus. facit ab eo deriuatiuum.
Oceanitides masculinum et oceanitides femininum. Unde uirgilius in iiii. georgicorum.
Oceanitides ambe. Dic possessiuum. Oceanius oceania oceanium. ut saturnius saturnia saturnium.
Patronomicum. ωKEANOC. ωKEANIC. oceanitides et femininum oceanitidis. uelud
priamos ... priamides et priamus. Et quamuis sit proprium. Oceanus etiam pro appellatiuo
accipitur. quando partes eius significat. ut si dicam athlanticus oceanus. et indicus oceanus.
et boricus et herithreus. siue ethiopicus. quomodo mare cum totum significat proprium est
et cum partem appellatiuum.

Interea. quae pars orationis est. Aduerbium. Cuius significationis. hic temporalis.
alias etiam localis est. ut in primo. Interea ad templum non equae palladis ibant crinibus
iliades passis peplumque ferebant. Cuius est figurae. Compositae ex duobus integris. Ex
inter. et ea. quae est ablatiuus pluralis. Solent autem componi ablatiui cum prepositionibus.
quae etiam accusatiuo separati solent coniungi. ut quapropter quocirca praeterea.
Sic etiam interea. Inter per mutitiuum est an diriuatiuum. diriuatiuum. ab in. quomodo
ab ex. exter. et a sub. subter. et a de. antique deter. Unde et deterior et deterius.
quae tamen alii a deteror uerbo facta esse putauerunt. quomodo autem ab exter. exterior. a supra
superior. Sic ab inter. interior. hinc intro intras. et intus. et intra. quae de spatium temporis
uel etiam loci significat. Intro uero ad locum. intus in loco comparatiuus interior. Superla-
tiuus. intimus uerbum intro intras;

Surgens. quae pars orationis est. Participium praesentis temporis et in duas
consonantes desinit hoc est. n. et s. et est commune trium generum. Cuius casus.
Nominatiui. et uocatiui. hic autem nominatiui praesentis temporis. significationis.
neutrae. formae perfectae. numeri singularis figurae compositae. Ex quibus. ex duobus
corruptis. tamen sur. enim quamuis go. corrupta sunt. Et notandum etiam quod cum in praesenti
ex duobus corruptis sit. In praeterito ex corrupto et integro inuenitur. ut surrexi.
et multa inueniuntur huiuscemodi non solum uerba sed et nomina. ut alter uter. alter-
utrius. in nominatiuo ex duobus integris est. et in genitiuo ex integro et corrupto.
Cogo coegi. In praesenti ex duobus corruptis est. In praeterito perfecto. ex corrupto et in-
tegro. pergo perexi. In praesenti ... et integro et corrupto. In praeterito autem ex duobus
integris. Declina uerbum eius. Indicatiuo modo surgo. surgebam. surrexi. surrexeram.
surgam. Imperatiuo surge surgat. surgamus surgite. surgant. Futurum surgito tu.
surgito ille. surgitote surgant uel surgunto. Optatiuo surgerem. surrexissem surgam.
Subiunctiuo cum surgam. surgerem. surrexerim. surrexissem. surrexero. Infinitiuo
surgere. surrexisse. surre... ... otum ire. uel surrecturum esse. Impersonalia indica-
tiuo surgitur. surgebatur. surrectum est uel surrectum fuit. surrectum erat uel fuerat.
surgetur. Imperatiuo surgatur. Optatiuo ut surgeretur. surrectum esset. surgatur.
Subiunctiuo cum surgatur. surgeretur. surrectum sit uel fuerit. surrectum esset uel
fuisset. surrectum erit uel fuerit. Infinitiuo impersonalis. surgi. surrectum esse uel fuisse.
surrectum iri. Supina surgendi surgendo surgendum. surrectum surrectu.
Quae etiam. Participia praesentis temporis Surgens. futuri surrecturus. Est etiam nomen
surrecturus quod in recto cum caret tempore. Sciendum tamen quod simplex eius ubi auctiuum est.
Rego facit enim regens. Composita autem ab eo quaedam in neutralium transeunt significationem.
quaedam permanent in simpliciis. ut pergo surgo. Neutralia sunt dirigo autem et porrigo
siue porgo et arrigo actiua sunt; dicabo quod ... surge nomen uerbale.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.19, 1r – Priscianus, Partitiones duodecim versuum Aeneidos principalium (https://fragmentarium.ms/view/page/F-hb6t/5256/49896)